


Caspar Mauritius

Programma Quo Ad Paschatos Festum devote celebrandum, Omnes omnium ordinum Cives Academici invitantur

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734833520>

Druck Freier  Zugang



RU Progr. 1651

- 1) Casper Mauinitius
- 2) Heinr. Rahne
- 3) "
- 4) Nicolour Schütz
- 5) Caspar Mauinitius

PROGRAMMA

Quo
A D

PASCHATOS
FESTUM


devotè celebrandum,

Omnes omnium ordinum Cives
Academici invitantur.

PROPOSITUM

RECTORE ACADEMIÆ

CASPARO MAURITIO,
SS. Theol. D. ejusdemq; P. P.
& Eccles.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILH, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LI.



Abuit quidem Synagoga Judaica tum in lege præcepta, eaq; majora vel minora, tum pio consilio à sanctis Viris communi Ecclesiæ consensu instituta festa, nullum tamen Paschatis festo sive solennitatem spectes, sive populi multitudinem, celebrius fuisse haud obscure ex sacri codicis loco non uno colligitur, & apertè testatur Josephus Antiqu. Jud. lib. XVII. cap. II. & lib. XXI. cap. 4. Et certè si ceremonias sive ritus sacros circa agnum paschalem observari solitos atq; à Deo præceptos velut in unum fasciculum colligamus, sunt illi numero adeo multi, ut vel hinc manifestum sit, singularem Deo & eximiam hujus festi curam fuisse. Assumendus erat die decimo mensis primi agnus ex grege, isq; integer, masculus, anniculus: hic postmodum separandus erat & in custodia habendus ad diem decimum quartum, quo die mactabatur inter duas vespertas domum in eo loco, quem Deus elegerat, nec ullum ejus os confringebatur. Sic mactati agni sanguine aspergebantur postes & superliminare domuum, ut exterminator Angelus præteriret Israelitas, cum Ægyptiorum percuteret primogenita; caro autem assabatur & comedebatur. Coeterum circa comestionem erant pluscula observanda. Edendus enim agnus erat totus, idq; à circumcisis tantum, iisq; non omnibus verum mundis, stantibus, festinantibus & ad iter accinctis, in singulis familiis, aut, si familia una agno edendo non sufficeret, cum vicinis, adhibitis herbis amaris, panibus azymis, quæ
omnia

omnia claudebat hymnus Eucharisticus. Adde quod non licuit domo egredi ad matutinum usq; ne Ægyptiis permiscerentur, de quibus supplicium sumtura erat illa nocte divina Justitia: quanquam hoc ultimum una cum aliis nonnullis, asperione nimirum sanguinis, & comestione agni à festinantibus atq; ad iter accinctis, postea quando in terra Canaan agnus Paschalis comedebatur, omissum sit. Hæ sunt ceremoniæ Paschales, quæ totidem continent misteria. Adumbrabat enim agnus immaculatus, masculus, anniculus, separatus, habitus in custodia & domatim mactatus Christi puritatem, robur annos præconii in his terris, mortem deniq; ultimis temporibus subeundam in loco, quem Deus elegerat, ne tamen ullum ei os confringeretur. Hujus agni immaculati sanguinis aspersa corda nostra liberantur ab Angelo exterminatore, quatenus fidei ore simul comedimus totum Christum, prout est igne divinæ iræ propter peccata nostra affatus, atq; exemplar nobis vitæ prævit secundum mandatum Dei per sanctimoniam & patientiam transigendæ. Hæc enim Dei mens erat, quando nec ab incircumcisis nec ab immundis comedi agnum volebat, sed à mundis, egredientibus & festinantibus, in singulis familiis, adhibitis amaris herbis & panibus azymis. Nempe nobis in regno Satanæ & hujus mundi non est obtorpescendum, sed celerrimè illud relinquendum, & negotium, quod hoc nomine nobis faceffit Satanæ, qui ægre fert sibi nos eripi, forti & Christiano pectore tolerandum, hoc unum curandum, ut Deo placeamus, quod fiet, si animam ab omni *ἐπιεδοξίας καὶ κακίας* fermento, quantum humanitus licet, expurgaverimus, & sinceritati, veritati atq; sanctitati unice litemus, Deoq; pro acceptis beneficiis gratias devoto pectore agamus. Atq;

hæc una ratio est ritè celebrandi Paschatos festi. Audivimus hæctenus anxium, proditum, captum, vinctum, sputo foedatum, cæsum, illusum, desertum à Deo & hominibus deniq; ultimo & teterrimo crucis supplicio affectum Servatorem, verum agnum Paschalem pro salute nostra immolatum. Audivimus hodiè eundem à mortuis in vitam revocatū, solatis omnibus doloribus, hostibus devictis & prostratis. Utramq; beneficium & passionis & resurrectionis intimis sensibus est defigendum, veniendumq; in communionem tum passionis tum resurrectionis Christi omnibus illis, qui summum hoc festum digne celebrare cupiunt. Quum Christus sit passus pro nobis carne, nos quoq; eadem cogitatione armari oportet, ut in carne patiamur & desistamus à peccato I. Pet. IV. I. Nempe crucifigendus est vetus Adam, etiamsi id ægré ferat: mortificanda caro & sepeliendæ voluptates, ex quibus illa delectationem capiebat, exturbanda de possessione proterviens & ferociens, constringenda vinculis passionis Christi, ut obedire Spiritui discat. Surculus stirpi insitus cum ea coalescit eodem succo vita & vigore, naturamq; refert trunci, cui est insitus. Nos Christo per fidem insiti, arbori illi vitæ æternæ non tantum vigorem spiritualem vitam & succum ex eo trahimus, veram etiam Christo, cui insiti sumus, similes reddimur & conformes, dum virtute Spiritus veterem hominem sic constringimus, ut quasi manibus pedibusq; cruci suffixus movere se & explere desideria mala nequeat, præterea crucem à Deo nobis impositam patienti animo toleramus. In his enim duobus consistit communio passionis Christi. Neq; enim ideo sudavit sanguinem Christus, ut in peccatis perseveremus, sed ut impofterum discamus cum peccato *γενε ἀπογονδον πόνερον*, neq; unquam deinceps regnum ei in corde

corde nostro permittamus. Sufficiat semel peccasse, quod reliquum est vitæ, Christo vivamus, qui omnia peccata nostra delevit & pro nobis apud Patrem intercedit, qui in hac cum peccato lucta & acerrimo Spiritus atq; carnis bello forte aliquo prælio per imprudentiam superamur. Hoc ubi fit, non abjiciendæ sunt hastæ, aut de divina gratia desperandum, sed cogitandum de Advocato nostro, qui ad dextram Dei Patris confidens vulnera sibi pro nobis inflicta repræsentat. Antipatrū illum fratrem crudelissimi Tyranni Herodis Ascalonitæ, qui Augusto Imperatori militans plurima acceperat vulnera cum prodicionis reus ageretur, memorat Josephus nulla verborum excusatione usum, tantum præsentate Augusto peccatus suum multis foedatam vulneribus denudasse, additis his verbis: Hæc, ô Cæsar, non perfidiæ sunt, sed fidei signa. Hoc spectaculo commotus Cæsar protinus surrexit, Antipatrumq; complexus est, omniumq; offensarum memoriam perpetua oblivione delevit. Quod si virium tantarum Antipatri vulnera fuerunt, nonne credibile est, longè majoris efficaciam futura vulnera Filij Dei ad dexteram Patris sedentis & pro nobis interpellantis? Interim id operam demus quo cum Christo patiamur, simusq; mundo crucifixi & sit nobis crucifixus mundus. Quod non fiet egrediendo ex mundo, aut in eremum eundo, sicut olim existimabat Bruno, autor ordinis Carthusiensis. Quam rem describit Polydorus Vergilius lib. 7. de Inventor. rerum. cap. 3. Lutetiæ, inquit, Parisiorum, quidam, cujus eruditio, vitæ morumq; integritas, religioq; apud optimos quosq; maximam merebatur & admirationem & laudem, suam diem obiit: qui inter solennes exequias, quæ ei tum in templo de more fiebant, in pheretra se erigens tristi querela exclamavit: Justo Dei

judicio accusatus sum. Ad hanc vocem omnes qui aderant consternati, humationem in sequentem diem differendam esse censuerunt. Secundo die, mortuus erecto rursus corpore in pheretra residens, eandem lamentationem repetit: Justo judicio Dei judicatus sum. Tertio deinde die, cum tota fere civitas in templum confluxisset, iterum se erigens, horrendum vociferabatur: Justo Dei Judicio condemnatus sum. Omnibus tum metu exanimatis Bruno patria Coloniensis, ejusdemq; Scholæ Professor Philosophiæ, rei tam stupendæ spectator: Videtis, inquit ad circumstantes, quam miserabilis sit exitus viri celeberrimi, & omnium nostrum opinione sanctissimi. Numne & nos sic perire volumus? Profecto non est locus salutis, nisi mundum relinquamus &c. Hisq; dictis cum quatuor eruditis & duobus illiteratis petiit cremum. Hætenus Polydorus. Rectè quidem Bruno ille censuit mundum relinquendum, sed illius rei modum perperam constituit. Paulus alium docet cum se mundo crucifixum & mundum sibi affirmat, quem explicat Johannes, cum negat amandum esse mundum, puta concupiscentiam oculorum, cupiditates carnis & fastum vitæ. Hoc enim est Paulo crucifixum esse mundum. Unde consequitur, Paulum esse crucifixum mundo, hoc est, esse mundi hujus purgamentum & peripsema. Quotquot enim renunciant mundo, coguntur varia perpeti atq; perferre, quod est alterum conformitatis caput. Oportet nos per multas tribulationes ingredi in regnum Dei. Author est Diodorus Siculus lib. 3. Bibliothecæ suæ, morem Æthiopibus esse, si regi suo quacunq; de causa membrum aliquod corporis mutilatum sit, ut omnes ejus familiares id ipsum spontè sibi decurtent. Turpe enim ducunt, si crux Rex mancum habeat, integris esse pedibus necessarios, nec
omnes

omnes æquè claudos per vias eum comitari. Quod si tantus amor Æthiopum in reges erat, quanto minus æquum fuerit nos Christianos à communione crucis Christi abhorrere, persuasos futurum, ut, sicut Christum oportuit multa pati & introire in gloriam suam, nos pariter secundum Dei voluntatem passi gloriam Christi introëamus? Sequamur ergo alacriter ducem nostrum. Johannem II. Lusitaniæ Regem legimus invisisse quendam consiliariorum ex morbo decumbentem: cumq; videret Rex hominem à potu medicato abhorrere, prælibavit ipse, ut bibendo subsequeretur ægrotus: Sic prælibantem Christum, imo non tantum prælibantem, verumetiam diluvium quoddam passionum epotantem quis veri nominis Christianus bibendo sequi recusabit? Nemo coronatur, nisi legitimè certaverit. Certemus ergo, pugnemus, vincamus, ut corona immarcessibili dignemur, quam resurrectione sua Triumphator Christus nobis promeruit. Themistoclem olim somnum capere prohibebant tropæa Miltiadis: excutiat nobis somnum spirituales memoria triumpho Jesu Christi, quem nunc tecolit Christo sacrata Ecclesia: An ignoratis, inquit Paulus, nos quotquot baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus esse baptizatos? Consepulti igitur sumus ei per baptismum in mortem: ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in nova vita ambulamus. Nam si cum eo plantati coaluimus assimilatione mortis ejus: nimirum etiam resurrectionis assimilatione cum eo coalescemus. Illud scientes, veterem nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut aboleatur corpus peccati, ne nos amplius serviamus peccato. Fiat! fiat! Vos autem, **Cives Academici HOC AGITE,**

AGITE, expendite vim resurrectionis Christi, cuius
communione Paulus tantopere affectat Phil. III. 9. II.
præ qua omnia ducit damna καὶ σκύβαλα: sit vestra vita
cum Christo in Deo abscondita. Sic fiet, ut postquam
Christus, vita illa nostra, manifestus factus fuerit, tum
& nos cum eo patefiamus gloriosi. Fiat/fiat! Egregiè Ter-
tullianus lib. de resurrect. carnis: Christus sequester Dei
atq; hominū appellatus ex utriusq; partis deposito com-
misso sibi, carnis quoq; depositū seruat in semetipso, ar-
rhabonem summæ totius. Quemadmodum enim nobis
arrhabonem Spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonem
carnis accepit & vexit in cœlum, pignus totius summæ,
illus quandoq; redigendæ. Securi estote caro & sanguis,
usurpatis & cœlum & regnum Dei in Christo. Aut si ne-
gent vos esse in Christo, negent & in cœlo Christum,
qui vobis cœlum negaverunt, P. P. Rostochij sub
figillo Rectoratus nostri XXX. Mart.
M. DC. LI.



bus sine ullo refrigerio torqueri se a
Turpe est, hoc tempore potissimum,
libera & sancta jejunia agebat, nos B
ventor Diabolus est, agere. Turpe f
deliciari. Israelitæ olim accepto nun
lis & Jonathanis filii ejus planxerun
speram usq; jejunaverunt: quid nos
tes memoriam crucifixi innocentis
stra? Percusso Afael, quem Abner tu
omnes qui transibant per locum illu
fael & mortuus erat, subsistebant. Et
mors adeo foeda & ignominie pleni
lum ruptum, terra mora, petra fissæ,
extuscitati, quis tam ferreus, adama
hæc terrorem non incutiant, exprim
stuporem? Rex Israëlis laudatissim
perpenderet, arcam Dei pellibus esse
amplissimo palatio habitare, pudore
nem Prophetam: Videsne quod eg
drina, & arca Dei posita sit in medio
nos efferre nosmet atq; voluptatibu
cogitantes veram Dei arcam Christi
sed sputo, sanguine, doloribus imme
obrutum atq; oppressum? Quin pot
Arca Dei & veri Israelitæ manent in
temulentie atq; vanitatis ingrediam
stra, non sumus facturum hanc rem.
rentem Cedron, reliqua multitudo,
flebant voce magna: ipse David cli
& flens, nudis pedibus incedebat &
mnis populus, qui erant cum eo, op
plorans. Et quis vere Christianus a
possit, videns, Christum transire to

querantur?
clesiæ olim
quorum in
inato velle,
egis sui Sau
nt & ad ve
st, recolen
peccata no
ersa hasta,
eciderat A
ommoveat
Regum, ve
rta, mortui
idus est, cui
s, excutiant
cum secum
se vero in
t ad Natha
n domo ce
t quo pacto
eamus, re
on pellibus,
te Calvarie
ia dicamus:
nos domum
it anima no
Davide tor
avide erat,
m, scandens
te: sed & o
incedebat,
bi temperare
ffionis rapti
dissi-

